

modo intellectiois in casu, ubi intellectus tam occupatissimè munere suo fungitur, ut ille, qui sic intelligit, & nihil videat ad tempus & nihil audiat, unde hoc modo Ecstasin naturaliter fieri posse probabile judicant *DD. Conimbr. l. 3. de an. cap. 8. quest. 8. art. 8.* Num & hoc immaterialitatis nota esse potest? Arguit sanè istuc, animam posse sine corporis instrumento intelligere & velle. *Voss. l. 1. de Orig. Idol. cap. 10. circa finem.* de quâ materia jucundissima fortè alio tempore aliquid. Hic adhuc unicum, antequam ad alias rationes progressum faciamus, de intellectu adungere liceat; est illud locus ex *lib. 3. de an. t. 7.* ad quem quomodo excellens sensibile corrumpat sensum, non autem intellectum excellens intelligibile? multis commentatur *Archang. Merc. p. 409. seqq.* Respondet *Burserus l. 3. cap. 23. Introd.* hanc Aristotelis sequelam nullam esse, quia neque sensus internus, quem materiæ alligatum esse in confesso est, sed externum duntaxat organum labefactari solet à sensibili excellentiori. *Dico:* Sensum internum etiam interdum lædi ab illo, quod illum nimium movet, ut sunt formidabilia & apprimè jucunda, quæ ita turbant illum, ut non possimus alia imaginari, aut saltem minùs rectè, *Primirosius. l. d. & hinc* quando universalium & insensibilium contemplatione cerebrum fatigari putat *Burserus*, sensus interni operationi hoc adimit & ad intellectus functionem malè transfert, *Murc. Disp. 2. q. 6. super lib. 3. de an. & Conimbr. l. c.* Quod ulteriùs contraponit, inconveniens hoc in loco est, nam ad sensus externos referri non potest, de quibus hinc præcipuè Philosophum disputasse contextus probat, & exempla, auditus, visus, olfactus, quæ subjunxit; nec absolutè vera sunt; siquidem non omnis, qui majora onera gestavit, alacrior est ad ferendum minùs ponderosa; contingit enim, ut, qui tanta gestarunt onera, quanta humeri ferre recusant, deficient viribus hoc modo cum valetudine fractis. Sed dicis, illa omnia, qua de Intellectu dicta sunt, non satis evidentia tibi videri. Respondet *Melchior Canus Lib. 12. LL. Theol. cap. ult.* memento nec cæteros ex tuo ingenio æstimandos esse, neque hinc evidentiam Mathematicam requirendam.

⊙. 27. Ulteriùs Animam ratiocinatricem Spiritum esse profitetur ipsius Immortalitas, quam quidem *Lucretius, Galenus, Plinius, Alexander* non; *Pythagoras* verò *Socrates, Plato, Theophrastus, Seneca, Cicero*, melioresque Philosophi, & ante hos omnes primus vel

*Thales*